

## XIX.

### Urkundliche Beiträge\*)

zur

## Rechts- und Sittengeschichte der sächsischen Vorzeit.

Mitgetheilt

von

G. D. Teutsch.

### I.

Nos Matthias Dei gratia rex Hungariae etc.  
memoriae commendamus . . . quod fidelis noster  
Conradus Monetarius, inhabitator civitatis nostrae  
Cibiniensis, nuncius universitatis Saxonum septem et  
duarum sedium Saxonicalium partium Transsilvana-  
rum regni nostri, nostram veniens in praesentiam  
. . . exhibuit nobis quoddam registrum super certis  
dispositionibus et ordinationibus magistrorum civium  
ac judicium et juratorum seniorum sedium praedicta-  
rum pro dictorum Saxonum nostrorum utilitate factis  
confectum, supplicans idem Conradus in personis  
eorundem Saxonum nostrorum nobis humiliter, ut

---

\*) Aus dem, in der Karlsburger Gr. Batthyánischen Büchersammlung befindlichen handschriftlichen Werke: „Tabularium Nationis Saxonicae.“

easdem dispositiones ratas, gratas et acceptas habendo litterisque nostris patentibus inseribi faciendo pro eisdem Saxonibus nostris approbare et ratificare dignaremur. Quarum quidem dispositionum series haec est: primum, quod, si aliqui nobiles, aut alterius cuiusvis status possessionati homines et notanter Valachi dictarum partium Transsilvanarum et signanter in districtibus Fogaras et Omlas \*) vocatis commorantes, pastores suos cum gregibus ovium, porcorum et aliorum pecorum suorum ad terras et territoria dictorum Saxonum nostrorum contra voluntatem ipsorum miserint et in vineis, segetibus, silvis, pascuis et pertinentiis ipsorum damna aliqua eis irrogaverint, extunc prima vice duo castrones vel duae oves et secundaria vice quatuor castrones vel oves, tertaria autem vice duodecim castrones vel oves pro vadiis recipi debeant, si oves fuerint, si vero porci fuerint, extunc primo unus porcus, secundo duo porci, tertio decimus porcus recipi debitatis tamen, et consuetis semper inhibitionibus de pastu talium ovium, pororum et aliorum pecorum praecedentibus. Illo etiam specialiter declarato, quod, si tales homines et Valachi quicunque aliquando signanter nocturnis temporibus in segetibus, sive seminibus ipsorum Saxonum nostrorum per ipsorum animalia praenotata tempore pluviali aut madido talia damna ipsis Saxonibus nostris illata fuerint, extunc 12 oves vel castrones pro vadio recipi debeant et

\*) Fogarasch und Omlasch kamen bekanntlich einige Jahre nach der Ausstellung (1469) dieser Urkunde in den Besitz der Sachsen der 7 Stühle. Unter andern sind als Grund der königl. Schenkung angeführt die „damna, quae ipsi (Saxon. VII sed.) per Valachos plenumque suscepereunt.“ Worte der Schenkungsurkunde v. 1472 in Tabul. Nat. Sax. p. 559.

pro veritatis signo unus agnus, vel una ovis, aut porcus occidi et mactari debeat, ne negatio fieri possit propter cruentum talis animalis in tali loco, in quo ipsa damna fuerint perpetrata, remanentem. Et si tam magna damna exstiterint irrogata, quod receptum vadum tanti valoris non fuerit, extunc pro damnis hujusmodi condigna recipi debeat satisfactio. Ubi vero Valachi ipsi, vel alii quicunque tantae potentiae fuerint, ut ab eis super hujusmodi damnis illatis condigna recipi non posset satisfactio, extunc tales damnificati juratos seniores ac universos inhabitatores illius oppidi aut villae, ubi ipsa damna perpetrata fuerunt, invocent pro auxilio. Si vero tales ad id insufficienes et impotentes exstiterint, extunc judices et totam communialem illius sedis, in quo damna perpetrata fuerunt irrogata, invocent. Si autem tales judices et tota communitas talis sedis tam impotentes fuerint, extunc dictos Saxones nostros et universitatem eorum de dictis VII et II sedibus Saxonibus pro succursu invocent et requirant, quibus mutuis et opportunis auxiliis in talibus subvenire teneantur. Ubi autem iidem Saxones nostri ad talem violentiam reprimendam insufficienes et viribus impotentes redderentur aliquo modo, extunc iidem Saxones nostri Vayvadas vel Vicevayvadas nostros Transsilvanienses pro tempore constitutos pro talis modi succursu juxta contenta litterarum nostrarum, si opportunum fuerit, debeant invocare. Praeterea ut nullus omnino hominum praenotata vadia, vulgariter Schätzüg (Schatzung) nuncupata per vestium ablationem et eductionem recipere audeat. Insuper ut nullus hominum in dictis VII et II sedibus commorantium audeat Valachos pro custodibus nocturnalibus aliquo modo conservare aut eisdem mercedem aliquam dare et solvere sub poena solutionis unius marcae argenti. Ceterum ut si aliqui

per latrones aut fures in equis, pecoribus et aliis bonis eorum quibuscumque damnificati ad aliquod territorium aut oppidum vel villam, in quo vel qua Saxones, seu Hungari, aut alii Christiani commorantur, consuela vestigia sequerentur, extunc tales eisdem damnificatis territorium ac domos et curias ad perquirendos talismodi equos, pecora et alia animalia ac bona aperire ac eosdem et eadem libere ubique perquirere permittere teneantur. Ubi vero tales damnificati hujusmodi perquisitione nollent contentari, extunc tales Saxones, Hungari aut alii Christiani ipsis singillatim solita juramenta pro eo praestare teneantur. Quo facto iidem Saxones, Hungari et alii Christiani liberi existunt. Si vero aliqui taliter damnificati consimilia vestigia ad aliquod territorium, seu oppidum, vel villam, in quo vel qua Valachi commorantur, sequerentur, extunc ipsi Valachi vestigia hujusmodi, ut moris est, extradare teneantur, si vero id facere nequierunt extunc ipsi damnificati super vestigiis septimo e (die?) solita juramenta deponere teneantur lege et consuetudine partium illarum observatis et tandem ipsi Valachi hujusmodi equos, pecora et alia animalia ac bona ipsis damnificatis persolvere teneantur. Ubi autem aliquorum latronum, furum et aliorum malefactorum in quorumcunque nobilium et aliorum cuiusvis status, dignitatis et conditionis possessionatorum hominum possessionibus et terris commorantium insultus in medio dictorum Saxonum nostrorum in destructionem et desolationem eorundem et terrae illius alibi ori- rentur et unus alium ex ipsis Saxonibus nostris quemcunque et quotiescumque contra hujusmodi insultus dictorum latronum, furum et aliorum male- factorum pro faciendo succursu invocaret et re- quireret, extunc iidem Saxones nostri juxta limita- tionem et impositionem hominum alicui sedi vel op-

rido aut villae pro talismodi praebendo succursu sibi ipsis mutuo faciendo mox requisiti insurgere et parti oppressae sub poena solutionis 25 marcarum argenti — quarum 20 ipsi magistris civium ac judicibus et juratis senioribus dictarum VII et II medium Saxonicalium et quinque judicibus illius sedis, aut oppidi vel villae, in qua contrafactum fuerit, eo facto irremissibiliter cedere debeant, succurrere ac ipsos latrones, fures et alias malefactores, quemcunque, quotiescunque, ubicunque et in quibuscunque terris, possessionibus et bonis quorumcunque reprehensos et apprehensos auctoritate nostra speciali juxta eorum demerita punire teneantur. Ubi vero aliqui judices alicujus sedis ad succursum hujusmodi requisiti et invocati modo aliquali non insurrexerint, aut negligentes seu remissi fuerint, quinque marcas argenti dictis magistris civium ac judicibus et juratis senioribus pro poena irremissibiliter solvere teneantur. Si autem aliqua singularis persona ad mandatum et requisitionem alicujus judicis pro hujusmodi succursu faciendo ad statim non insurrexerit, aut negligens et tepide fuerit, pro poena unum florenum auri ipsis magistris civium ac judicibus et juratis senioribus solvere teneantur. Demum, quia plerique reperirentur deceptores, qui quam plures homines, ab eis pecunias mutuo recipiendo, decipiunt et ex post debitores effecti de talismodi debitibus hominibus ipsis satisfacere nolunt, per quod multi debitibus eorum defraudari et damnificari consvererunt, ideo ubicunque tales debitores in medio eorundem Saxonum nostrorum reperirentur, captiventur et juxta consuetudinem aliarum civitatum dicti regni nostri Hungariae captiam diu detineantur, donec ipsis creditoribus suis hujusmodi mutuatam pecunianam restituerint effective, aut pro se pro debitis hujusmodi sufficientem prae-

stiterint fidejussoriam cautionem. Postremo ut si ipsis Saxonibus nostris de dictis VII et II sedibus ex hujusmodi dispositionibus ac confoederationibus aliqua gravamina, damna, improperia et alia mala quovis modo evenirent, iidem praemissa omnia insimul fecisse assumisset et se obligassent. — Matthias bestätigt diese dispositiones, in omnibus earum clausulis et articulis, in quantum rite et legitime atque pro commodo et utilitate dictarum sedium factae sunt. D. in Olomuez in festo beati Marci evangelistae; anno domini 1469 \*).

## II.

Wladislaus, Dei gratia rex Hungariae etc. fidelibus nostris magnifico Bartholomaeo Draghy de Belthewk moderno, futurisque Vayvodis et Vice-vayvodis partium regni nostri Transsilvanarum salutem et gratiam. Exponitur Majestati nostrae in personis fidelium nostrorum prudentum et circumspectorum magistrorum civium ac judicum et juratorum civium *septem et duarum sedium Saxonicalium, Saxonum terrae Barczae et districtus Bistriciensis* partium regni nostri Transsilvanarum, qualiter ipsi per Valachos magna et indicibilia damna et injurias sustinerent, nunc furto, nunc igne, nunc gladio ipsos exponentes molestantes. Quos

\*) Neue Befehle des Königs auf die Klagen der Saxonum in II sedibus Selyk et Medgyes commorantium, „gegen die vielfachen Rechtsverlegerungen der Walachen, s. in Hanei's Rgl. Siebenb. 219; (d. Budae fer. IV. p. f. b. Annae; 1474). Auch die Adeligen klagen über den vielfachen Schaden, den ihnen die Walachen zufügten. S. Fejer's Cod. dipl. 9, 3, 550 oder Katona 10, 375.

cum ipsi exponentes propter hujusmodi eorum demerita suppicio afficerent, posteritas sive filii, sive nepotes hujusmodi Valachorum interfectorum post lapsum aliquot annorum occisos, poena sceleribus debita mulctatos parentes ab ipsis Saxonibus nostris repeterent, et nomine poenae sive vindictae pecunias ab ipsis extorquerent, quae si eis negarentur, oppida et villas furtum incenderent et homicidia perpetrarent; saepe etiam greges pecorum suorum ipsi Valachi in territorium Majestatis nostrae impellerent ac in silvis et segetibus non minima damna inferrent; a Saxonibus autem ipsis prohibiti et aliqua poena afflicti, igne, furto, spolio et homicidio minarentur. Nonnulli autem faces et (ad vielleicht?) saepes in fine villae alligantes denunciare, ut nisi mortem interemtorum Valachorum pecunia redimerent, saepe etiam pauperes colonos in silvis repertos adirent et pecunias ab ipsis extorquerent, quae si eis negarentur, villas eorum incendio non semel, sed bis et tertio cremarent, in praejudicium dictorum exponentium et damnum non modicum . . . . Quapropter volumus et fidelitati vestrae serie praesentium strictissime mandamus, ut postquam cum praesentibus fueritis requisiti, continuo ubique in partibus illis Transsilvanis palam faciatis proclamari, ut ubique et in quorumunque bonis hujusmodi Valachi furto, incendio et homicidio minas imponentes reperti fuerint, tales continuo captivare et juxta eorum demerita et excessus cum omnibus hujusmodi sceleribus eorum participibus, jure et justitia mediante convictis poena condigna afficiatis. Illos vero, qui facibus alligatis alios deterrent et talibus comminationibus pecunias ab ipsis Saxonibus levarent pro negatisque pecuniis incendia committerent et veraciter in hujusmodi crimine re-

perti fuerint, similibus \*) — — — — — regia praesentibus nobis — — in hac parte concessa ac jure et justitia mediante. Secus non facturi. Praesentibus — — — Budae in Dominica invocavit; a. d. 1498

III.

Nos frater Georgius episcopus Varadiensis,  
thesaurarius. locumtenens reginalis Majestatis ejus-  
que serenissimi filii ac in regno Hungariae et Trans-  
sylvaniae judex generalis etc. memoriae commenda-  
mus tenore praesentium . . . quod prudentes ac cir-  
cumspecti domini Weres judex regius et Petrus  
Haller cives civitatis Cibiniensis in suis et aliorum  
universorum Saxonum VII et II sedium personis  
nostram venientes in praesentiam exhibuerunt et praes-  
tentaverunt nobis quosdam articulos in simplici  
papiro conscriptos, qui pacem et concordiam inter  
ipsos universos Saxones et totam terram Fogaras  
continere dinoscabantur tenoris infrascripti, suppli-  
cantes nobis . . ut eosdem articulos litteris nostris  
ad verbum . . inscribi facientes pro ipsis Saxonibus  
ipsorumque posteris in testimonium futurae inter-  
eos . . ac terram Fogaras pacis confirmare digna-  
remur. Quorum quidem articulorum inscriptio talis

\*) Der Friedensvertrag des Hermannstädter Stuhles mit den Walachen im J. 1383 stellt fest: „si aliquis (Valach.) comminaretur incendium, talis si convinei posset VII juramentis, statim debet cremari. Modo simili quicunque Valachorum convinceetur VII juramentis, quod furtum, spolium incendium aliquod vel hujusmodi commisisset, simili modo statim debet cremari.“ Fejer's Cod. dipl. 10, 1, 132. Bgl. Eder's Observat. crit. 97.

est: Institutum Dominorum Saxonum cum terra Fogaras super reformatione observationum, quibus pax inter habitantes terras durare possit. Tenor vero articulorum hoc modo sequitur: in primis Valachus Fogarasiensis non educat oves suas in territorium Saxonum, nisi habita convocatione coram judice possessionis et si conventio celebrata fuerit, judex dabit ei litteras, quas perferat ad castellanum et e converso castellanus dabit litteras sationales, sive fidejussionales, in quibus cavebit castellanus pro domino ovium et pastore et numero ovium, quorum nomina utrinque in litteris conscribantur et sic educat oves suas in territorium ejusmodi possessionis una cum litteris judici exhibendis. Item si citra indultum Saxonum in terram eorum oves convexerint, aut citra favorem intertenerint, primum denuncient illi Saxones per hominem judicis, ut depellant oves; si pastor non fuerit obediens mandato, ex uno grege accipientur oves quatuor; si adhuc contumax erit pastor, mulctetur in duplo es si adhuc temerarius erit, sedecim oves auferant et si superaddet amplius, capiatur et non dimittatur, nisi soluto homagio et si maluerit Saxo, liberam interficiendi pastorem habet facultatem. Item ubi pecora in damno reperta fuerint, impellantur et judex possessionis, habita proborum aestimatione, de omnibus satisfaciat Saxoni damnificato et si pastor vi vel manu armata oves defendere voluerit, judex faciat eum capere et Saxo producat testes de violentia, vel, si testes defuerint, juxta legem regni stet ad caput ejus cum septem conjuratoribus \*) et habita fidei depositione et criminis in caput ejus coacervatione subeat sententiam capitalem.

---

\*) Die alt-deutschen Eideshelfer. Vgl. Lüden: Geschichte des deutschen Volkes. III, 390 sc.

Ubi vero aufugerit pastor, castellanus eum juri statuat et procedatur contra eum ordine judiciario suprascripto; ubi vero pastor incendium minatus fuerit, sive ignem excitaverit, si repertus fuerit in territorio Saxonum, ordine praescriptio celebretur in caput ejus judicium et interficiatur. De aliis vero casibus criminalibus, si capi poterit pastor puniatur, habito justo judice et sententia per bona merita caute elicta et eliminata; si vero aufugerit, castellanus sistat eum juri in foro Fogaras, hoc est in sede judiciaria de Fogaras. Attamen propter casum incendii, si dominus suum pastorem in judicium non exhibuerit, vel exhibere non poterit, judicium nihilominus in pastorem transigatur et testes excipiantur, si non desuerint; si vero penuria testium fuerit, Saxo juret septimo in caput pastoris et dominus pro eo interficiatur. Item Valachus, qui possessionem transiverit et destruxerit, capiatur et introducto et recepto testimonio fide digno capite puniatur. Si vero testes desuerint, in caput ejus juramentum juxta legem regni celebretur et interficiatur et si transfugerit in terram Fogaras, castellanus ordine suo praescripto celebret in caput ejus judicium. Item silvam prohibitam ovibus pastores desecare non debent, quod si fecerint, tales pastores capiantur et conjiciantur in solutione homagiorum suorum, aliter non dimittantur et si violentiam et manum armatam inferet, ordo servetur praescriptus in puniendo pastore; si vero aufugerit et pastor oves reliquerit, judex de homagio pastorum accipiat satisfactionem, si vero ovesque abstulerit secum et discesserit, castellanus servet in hoc processum superius praescriptum. Ubi vero ad excitandum ignem arbores prohibitas pastor desecaverit, solvat pastor birsagium sylvae in medio possessionis ab antiquo observatum. Item Valachi, qui de praesenti oves

suas in terra Saxonum (habent), infra XVum diem a die praesenti, h. e. feria IVta prox. p. dominicam Oculi computando, super pastura ovium cum illis, quibus interest, concordare debent, alioquin poenae praescriptae subjaceant. Nos itaque justa et legitima supplicatione annotatorum judicis regii et Petri Haller Cibin. nomine universitatis Saxonum nobis porrecta, exaudita et admissa, praescriptos articulos . . . quoad omnes eorum continentias, in quantum scilicet rite et legitime existunt emanati viribusque illorum veritas suffragatur, ratos habentes et acceptos, pro ipsis universis Saxonibus ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis confirmamus eosque pro eisdem perpetuo valituros auctoritate nostra declaramus, harum nostrarum vi-  
gore et testimonio litterarum. Datum Thordae feria sexta prox. post octavas festi corporis Christi, anno ejusdem 1548.

---

Carolus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Ramae,  
Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae Bulgariae-  
que Rex, Princeps Salernitanus et honoris ac montis  
Sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus,  
tam praesentibus, quam futuris praesens scriptum  
inspecturis Salutem in omnium Salvatore. Iustis  
petentium desideriis consensum praebere jus invitat  
et regalis munificentia exortatur, in his praecipue,  
quae Subditorum commodis videntur utiliter con-  
venire. Proinde ad universorum notitiam harum  
serie volumus pervenire. Quod Petrus Magnus Vil-  
licus, seu Judex Civitatis nostraræ Culusvár et Thomas  
Hospes de eadem ad Nostræ Serenitatis praesentiam  
accedentes suo et universorum fidelium hospitum

nostrorum de eadem exhibuerunt Nobis quasdam literas Nosras patentes Sigillo Nostro moderno consignatas infrascripti tenoris, Nostram humiliter flagitantes Excellentiam, quatenus ipsas ratas habere et in formam nostri Privilegii redigi facere de pietate Regia dignaremur. Quarum tenor talis est.

Nos Carolus, Dei Gratia Rex Hungariae, significamus tenore praesentium quibus expedit universis memoriae commendantes. Quod fideles hospites Nostri de Culusvár ad Nostrae Celsitudinis accedentes praesentiam exhibuerunt Nobis quoddam Privilegium Nostrum Principali authentico sive majori sigillo nostro consignatum super Libertatibus ipsorum per Nos eisdem gratiose datis et concessis confectum, petentes Nos humili praecum instantia ut ipsum Privilegium nostrum, seu ipsas Libertates eorum per Nos concessas ratificantes et pariter approbantes appositione praesentis novi et authenticii Sigilli nostri uberiorem ad cautelam ex benignitate Regia dignaremur saltem patenter confirmare, cuius tenor talis est:

Carolus Dei Gratiae Hungariae, Dalmatiae, Croaciae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidibus praesens scriptum inspecturis salutem in vero Salutari. Quum Rex Magnus super Suas Gentes Is digne fari potest, qui multitudine populorum gratulatur gloriando, ut in pacis pulcritudine et quietis tranquilitate sedeat Civitas plena populo et vita opulenta perfruatur. Hinc est, quod discretus vir Benedictus Plebanus de Clusvár et Canonicus Albensis et Comes Tarch (Comes Starch Storch oder Starif) Judex de eadem Culusvár suo et universorum hospitum Nostrorum de eadem nomine, ad nostram praesentiam accedentes humiliter Nobis supplicarunt, proponentes in hunc modum, quod cum Stephanus

Illustris Rex Hungariae quondam Atavus et progenitor noster bonae memoriae volens olim fundare et congregare praedictam Civitatem Clusvár, multa Libertatum praerogativa ipsos décorasset et praeditos fecisset, praeter modum vergente deorsum conditione status mundi per impacati temporis discrimina, Iidem hospites Nostri a via Libertatum suarum deteriorati cecidissent, petentes a Nobis cum instantia, ut ad pristinam et antiquam Libertatem ipsorum ipsos restituere et restituimus in eadem conservare dignaremur, unde quia auditis Supplicationibus et petitionibus ipsorum occurrit Nobis considerare illud authenticum huic proposito fore congruum atque consonum Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi Subditos fore pacificos et quietos et suae multitudinis Libertate fruituros. Nos itaque instar hujns gerem (?) volentes attendentes fidelitates praedictorum Hospitum et Saxonum Nostrorum, quas Nobis multa fidelitate suorum laborum non solum res et bona ipsorum imo etiam personas ipsorum fortuitis casibus, imo certis periculis exponendo, verum etiam plurimas mortes et caedes hominum perpaciendo supremae fidelitatis indicio impenderet curaverunt, et praesertim novissime istis temporibus contra nostros aemulos procedendo licet non cum nimia rerum et personarum ipsorum jactura Nobis fideliter servierunt. Igitur quia ex officio Nostrae Regiae Majestati incumbenti, quae nulli deesse in sio jure imo incuriam in Jus restaurare deberem (debemus) eorundem hospitum Nostrorum justis petitionibus inclinati ipsos et per ipsos ipsorum haeredes reddidimus et restituimus ad antiquam et eandem pristinam libertatem ipsorum, qua vel quibus per memoratum Stephanum Regem a prima fundatione et congregatione ipsius civitatis praediti fuerunt, eadem praerogativa Libertatum etiam Nostris temporibus fruituros, quas hoc

ordine tenore praesencium specificandas duximus et pariter exprimendas, quod singuli hospites Nostrum de praedicta Civitate aratra habentes in festo S. Martini singulis annis singulos — — cum pondere regali ceterum vero hospites per se Domos et non aratra habentes singuli singula (quod Civitas nostra Clusvár vocata in festo S. M. Conf. singulis annis — — marcas argenti cum pondere Regali Nobis ac nostris successoribus modo praemisso solvere tenebuntur. Praeterea etiam de singulis 60 mansionibus etc.) tria pondera in praedicto festo. Inquilini autem alterum dimidium pondus singuli praedicto tempore nomine terragii modo praemisso solvere tenebuntur, praeterea de singulis Sexaginta mansionibus unum armatum decenter ordinatum ad exercitum nostrum transmittere tenebuntur. Item villicum inter se libere eligerent, quem (qnod) de communi consensu et voluntate duxerit (duixerint) ordinandum. Qui quidem Villicus ipsorum omnes Causas inter ipsos et intra metas ipsorum exortas, exceptis Causis homicidii, furti, Latrocinii, incendii et vulneris, quod vulgo dicitur Boyses (Boyseb), quas Judex Noster et villicus ipsorum pro tempore constituti, pariter judicabunt, Judicia inter se taliter didentes, quod duabus partibus judici Nostro cedentibus, tertia parte (tertiam partem) in dictis causis Villicus ipsorum obtineat (obtinebit). Item concessimus etiam eisdem hospitiis Nostris, quod intra Terminos partium Transylvanarum, tam in civitatibus, quam etiam in aliis locis de mercibus et rebus ipsorum nullum tributum solvere tenebuntur. Item Sacerdotem et Plebanum de communi libere eligerent voluntate, sicut in aliis civitatibus nostris est consuetum, cui omnia jura eidem de Jure debita administrare tenebuntur. Item concessimus eisdem, quod terras circumquaque jacentes, quas usque modo juste tenuerunt et posse-

derunt cum Sylvis, nemoribus, pratis, terris arabilibus et aliis utilitatibus universis, iteant et possideant, ut usque juste possederunt, sic possideant pacifice et quiete sine praejudicio tamen juris alieni, haec et alia quae idem Dnus Steph. R. eisdem concesserat promittentes inviolabiliter observare. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem praesentes eisdem nostras Privilegiales concessimus Litteras duplicitis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per mauus discreti Viri Mag. Joannis Alb. Eccl. Praep. Aulae nostrae VCancell. et Archidiac. de Küküllö dilecti et fid. nostri A. D. 1316, 14ta Calend. Sp̄tbr. regni ant. nostri similiter 16.

Nos itaque petitionibus ipsorum fidelium hospit. nostr. hujusmodi justis admissioniq. condignis favorabiliter inclinati, praescript. Privileg. nostrum, Nobis per eosdem reportatum, in nulla sui parte viciatum, de verbo ad verbum praesentibus insertum, simul cum Libertatibus praemissis per Nos eisdem hospitibus nostris de Culusvár restitutis, imo concessis, ratificamus, acceptamus, approbamus et praesentis scripti patricinio appositione hujus nostri Sigilli novi et authentici confirmamus. D. in Visegrad in f. Translationis B. Benedicti Conf. A. D. 1331.

Nos itaque petitionibus eorundem hospitum nostrorum de Culusvár, utpote juri consonis, per omnia annuentes et volentes ipsorum servitiis laude dignis correspondere Regio cum favore, ipsas litteras nostras patentes acceptamus, approbamus, ratificamus, praesentis scripti patrocinio de consilio praelatorum et Baronum Regni nostri ex certa scientia perpetuo valere. confirmantes. In cuius rei memoriam etc. D. per manus Venerabilis Viri Mag. Tatamery Albens. Eccl. Praep. Aulae nostrae VCancell. dil. et fid. nostri, tertio Nonas Aprilis A. D. 1336. Regni etiam n.

ann. similiter 36. Venerabilibus in Cto. fratrib. Dnis.  
Chanadino Strigoniensi etc.

Die Urkunde steht in demselben Bande noch einmal, transsumirt auf die Bitte des „comes Waltherus et alter Comes David de Civitate Culusvar“ von dem Convente von Kolosmonostor, mit den (in Parenthesen eingeklammerten) abweichenden Lesearten. Das Jahr des Transsumtes ist, wohl durch des Abschreibers Sorglosigkeit, falsch angegeben, 1306.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv des Vereins für Siebenbürgische Landeskunde](#)

Jahr/Year: 1846

Band/Volume: [02](#)

Autor(en)/Author(s): Teutsch G.D.

Artikel/Article: [Urkundliche Beiträge zur Rechts= und Sittengeschichte der sächsischen Vorzeit. 317-332](#)